Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 163
Quelle:
Copyright:

tus et rubricis distinctus, ab Homine Sec. XVI. in PP. literatura minus versato, cujus nomini parco, erasis prioribus Inscriptionibus *Eucherio Lugdunensi* perperam adtributus, continet *Ruperti Abbatis Tuitiensis* Sec. XII. Scriptoris *Commentaria in IV. Prophetas majores et Volumen Evangelistarum*, quae partem *Librorum* Ejus XLII. *de Operibus SS. Trinitatis* constituunt. A *fol.* 1. usque ad *fol.* 14. habetur *Elenchus Capp.* qui in *Edit.* noviss. *Venetiis.* 1748. T. I. p. 478. f. Capitibus singulis praefixus est. *Fol.* 14. *Incipit Liber in ysaiam Primus. Prefatio I. Omnis Anima que christum diligit* &c. *Fol.* 36. *Explicit. Liber I. Incipit. Liber in Esayam II. Capitulum. I. Quarta* (ae) *Perioches caput lucidum* &c. Verba extrema: *Adeo non deus recens est hic deus noster.*

Fol. 65. *Incipit in Jeremiam. Primus.* C. I. *Quinte Etatis Seculi Crepusculum* &c. Finis: *beatus qui retribuet tibi retributionem tuam.* Est vero Liber tantum unicus.

Fol. 95. p. 2. *Incipit in Ezechyelem primus.* C. I. *Hac Mundi Etate quinta* (quam) *precedente Volumine sumus ingressi* &c. *Fol.* 121. p. 2. *Explicit Liber I. Incipit in Ezechielem.* II. *Caput.* I. *Quoniam Celestia de quibus supra loquebamur* &c. Finis: *videbimus Deum Deorum in Syon.*

Fol. 142. *Incipit in Danielem. Primus. Capitulum.* I. *Aperiente Christo cujus in hoc Opere Mysteria querimus* &c. Definit: *Animum parva recreatione reparantes.* Rursus est Liber singularis, cui tamen etiam a C. XIX. Prophetiae *Aggaei*, *Zachariae* et *Malachiae* intextae sunt.

Fol. 160. sequuntur *Commentaria in Volumen IV. Evangelistarum* hac nuda Epigraphe: *Incipit. Liber* (Corruptor hic *Primus* rescripsit) *Capitulum. I. Sexta Mundi Etate Christus Dei filius* &c. Finis: *Optimam partem elegit que non auferetur ab ea.* Unicus iterum Liber. Itaque nugas egit, qui C. XXIX. superscripsit: *Liber secundus*, Capitumque trium sequentium numeros mutavit.

Ne igitur quem in errorem inducat *Bibliotheca Gesneri* Expositionem *Eucherii in Esaiam*, *Jeremiam* &c. inter *Codd. Bibl. Imperialis* haberi adserens. Fucum enim fecit doctis Helvetis Sciolus noster epistolio ad *Nic. Episcopium* dato, quod etiamnum Codici nostro praefixum est. Quanquam, si hunc inspexisset diligentius, vel *Gregorius* M. *fol.* 96. citatus illum ab *Eucherio* avertere debebat. Duo subjungo: *Rupertum* nostrum pertinuisse olim ad Coenobium *S. Mariae Gottvicense* et praetensum illi esse Folium *Calendarii* coaevi *Augustum* integrum cum parte *Julii* et *Septembris* complexum.

LXVIII. VII. C. 12

Codex chartaceus lat. Sec. 169
XV. Folior. 447. f. per duas columnas currente calamo exaratus, olimque a *Wenceslao Rossa Chrudimen-*